

S O L

*Meritis suis clarissimus*

Thorunen: exortus Vistulæ

PRO AVITO LEONE

In Geminis Maji Nobilioribus

*Clarissimo & Excellentissimo Domino*

IAC: THEOD:  
RIESS

*Medicinæ Doctore Regio*

Et

PRÆNOBILI AC MAGNIFICA

BIBIANA  
THEOPHILA  
RUBINKOWSKA

*Prænobilis & Magn: Domini*

JACOBI CASIMIRI

Et

CATHARINÆ de Gezis  
RUBINKOWSKIE

*Consulis Post Magistri Thor. S. R. M. Secretarii*

UNICA FILIA

*Paribus ob præclaras Dotes Neosponsis*

A DORNATUS

*Accendente Hymenæi tædas Majo 1736. 15. Majo*

*Ab oculato Spectatore*

FRANCISCO JGNATIO CZARNECKI

*Postæ Thorun. Secretario.*

T H O R V N I

Impressit Iohann Nicolai Nobil. Senatus & Gymnasii Typographus

88



Angvet Musa mihi, nec enim se fortior urget  
Vel pede firma suo, decurrat Olympia Laudis  
Ut Jacobe tuæ; tanto sed metra fatiscunt  
Pondere, tentarent quamvis assurgere Laurum,  
In cultus Tibi prona cadunt, seseque fatetur  
Debilis esse nimis nec dum bene docta Poesis,  
Da robur viresque pedi sic sanius ibit  
Mente mea carmen protrusum, Cedat Apollo

Tu mihi Phoebus eris, mea metra tuoque  
E radio vivent ut homo quondam Ille Promethæi  
Fábula quem fecit, quem animavit fictio raptò  
De Cœlis radio, jam e vero vivite versus  
Quos animas Tu luce Tua clarissimus orbi  
Cœlorum munus, donum THEODORE Deorum,  
Nuper ego famæ famulus, post fessa labore  
Membra, leves pennas mutuatus, forte volare  
Cum cuperem qua montis apex altissimus infert  
Iam summo nimium Cœlo caput inde recessus  
Arcanos Famæ scrutari, plurima scire  
Nesciriq; avidus; superi mea vota secundant  
Me rapit aura levis, trepidum ignarumque volandi  
Prætervecta alpes, ac Acroceraunia celsum  
Dindymon, & sacris celebratam frondibus Idam  
In bifidi montis geminato vertice ponens  
Is Parnassus erat qualem cum Musa, Poëtam

Excoleret, fateor non vidi, plurima Laurus  
Non attonsa comas, doctas in præmia Frontes  
Invitat multo vatium Sudore rigata  
Crescit, & emeritum semper caput inserit astris,  
Per folium vidi Lauros clarescere, nomina vatium  
Inscriptas, gemmare decus pretiumque coronis  
Multa licet Spectanda forent, sed plurima longe  
Spectatorem oculum rapiabant. Vertice summo  
Castaliis, Fons ludit aquis suavique susurro  
Invitos trahit in somnum qui lumina bina  
Jam jam cogebat claudi, noctemque ferebat  
Tunc absente, loco, Phæbo Parnassia rupes,  
Sed tersis utcunque oculis, & fronte patente  
Excutio somnum deses quid torpeo? dixi  
Phæbus ubi est? Numen Princeps ubi? doctus Apollo  
Est ubi? vos quæro famulantia Numina, Musæ  
Dicite. Tum quædam peramæna fronte reponit  
Quod quæras Phæbum belle est, statione Leonis  
Hunc quære, invenies, ne erres. LEO Rissius [inquit]  
Nunc nostrum rapuit numen, Parnassia linquent  
Namque Juga excelsæ petiit fastigia gentis  
Quæ sola est factura polum, Theodorus Olympi  
Cœlorumq; favens donum dedit omnibus astris  
Ipsè locum, totusque Polus requievit in uno  
Non ARIES post hac pretiosæ Vellera Lanæ  
Iactabit stellis, filum nam ducit honoris,  
Candor & innocuæ castissima lilia mentis  
Exsuperant agnum puro pascuntque foventque  
Pectore, quod vitæ stamen deducet & in orbe  
Per trabeas olim terreno, donec in axe  
Sidereo Princeps probitas regnabit in Agno  
Europæ potior TAVRO cui astralaborant  
Et TAVRVS cœlestis arat vir RISSIUS ille

Quem

Quem Thorunensis suspexit viftula nunquam  
 Littus araturum, cui & connubia tanta  
 Suave Jugum pofuere, polum pro fidere Tauri  
 Implet & expellit ftabulantia Lumina Cælo  
 Cum tædas ascendit Hymen jam Purpura CANCRVM  
 Vestit & in mediis totum rubet ignibus aſtrum  
 Quod Cancro melior ſtellato, ſyduſ Olympo  
 Donatum terris, Iacobus lumine plenus  
 A recto erravit nunquam! LEO regnat avitus  
 Attollitque iubas nec ſunt ſibi Lumina terror  
 Sed geminat ſplendore dies, geminatque ſerenum  
 Rex Leo per terras, Leo regnaturus in aſtris  
 In cultus huic prona cadit pretiumque Valore  
 Excedens orbem, tantum probat eſſe, Iacobo  
 Quantum ſe ſupra poſitum, meminiffe negabat,  
 Quæ medio ſtat LIBRA Polo Vir ponderis unus  
 Riſſius ingentis, cunctis acclinis in omnes  
 Propenſus graviter, nullum levipendit, amicus  
 Et nulla levitate gravis. Sibi ſcrupulus unus  
 Eſt, medicam ſemper ſcitè tractare bilancem  
 Vt ſenſus revocet pendentis ſtamina vitæ  
 Extendat ſolidetque Librâ hic eſt dignior aſtris  
 Ite venenatæ Linguæ procul ite venena  
 SCORPIVS excedat Cælo, quem noſtra Galenum  
 Sæcula ſuſpiciunt mandat. Blandiſſima figet  
 Oſcula, damnabit viciatæ toxica linguæ  
 ARCITENENS pharetramque tuam nervumque remitte  
 Nam pennis ſublimior inter & aſtra Iacobus  
 Dignus habere locum. Færentia ſidera Cælo  
 Ite procul CAPRÆ, pleno ſe Copia cornu  
 Iacobo funder, ſtatuat pro vertice, cornu  
 Favnuſ Amaltheæ meliore ſedaurea ſecla  
 Effundet fortuna ſinu, medicumque juvabit  
 Qui bene ſemper olet pingvedo ſupernatet illi  
 Et magnos oleat cenſus. Cratere Tonantis  
 Divi non poſthac urentur. Dexterâ Riſſi  
 Nam meliora Diis præbebit pocula vitæ  
 Pro falſo Diæ, menſe Ganymede miniſtro  
 Certa ſalus fluet hæcce manu, procul amphora Cælo  
 Quid juvat elingues Cælo diſcurrere PISCES  
 Nunquam jejunæ melior ſacundia ſvadæ  
 Parebit cælo, Jacobi quando tonitru  
 Nominis iſtius gemmas dabit. Ergo coronæ  
 Nunc feſtas vincite comas frænate capilloſ  
 Hæc ego dum tacituſ ſuſpenſa mente revolve  
 Interea occurrit nondum mihi VIRGINIS aſtrum  
 Hæcce domo vidiffe licet, ſi conſulo majum  
 Deſtituunt illum GEMINI queror ergo penates  
 Riſſiacos, quamvis cælo non impare mole  
 Et ſe majeſtate ferant. At in audio Riſſuſ  
 Aſtri Virginei quærit connubia caſta  
 Et prope ſtat ſiduſ, Princeps LEO. Jupiter addit  
 Jam Geminos ne quære mat. BIBIANNA IACOBVS  
 Sunt animis votisque pares, Geminique ſecunda  
 Cuncta, Polo Lechiæ cunctis terrisque daturi  
 Tum Leo Riſſiacuſ celeri veſtigia planta  
 Promovit tenuitque domum, qua Virgo refulget  
 Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis

Patritiis effulta viris. Pro fronte resedit  
 Estque rei caput, Ipse Pater IACOBVS in omnem  
 Prognatus Patriæ sortem, cui corpore toto  
 Per venas fluxit sanguis bene nobilis inter  
 Patritias Patriæ Trabeas plus forte viginti  
 A sibi Congenito nunquam male decolor Astro  
 Regia IOANNIS Regis clementia iussit  
 Hanc servare rosam tredecim perlustra tenacem  
 Secreti, magnum vestigal portubus undis  
 Et Terris quæsitus Commissarius audit  
 Tum primus Consul per quem Romana loquuta  
 Majestasque Fidesque simul, Burgrabius inde  
 Et quem vocalis per sæcula fama loquetur  
 Nescia mentiri, mirari Cuncta, coacta  
 Ober-Postarum fecit quæcunque Magister  
 Tum sociat Decora e GEZARVM gente Parentem  
 Quam novit BIBIANA suam, cui proximus ultro  
 Occurrit Frater IOANNES GAROLVS illum  
 ALBERTVS comitatur avus, Proavusque virente  
 Nomine, Flos gentis Florianus, magne Georgi  
 Centenos ultra septem annos natus an istud  
 Non Cælo spectas Atavorum maxime, tantæ  
 Connubium solenne domus Silesia gaudet  
 Hyeronimum jactare suum prout Austria magnum  
 Bello IACOBVM GENERALEM, proximus isti  
 Ambrosius successor adest, pro Castore Pollux  
 Alterna statione redit, IACOBÈ, IOANNES  
 HYERONIME Illustris bellorum Ternio fama  
 Quid taceas meritis vocalem ferre IOANNEM  
 Et STANISLAVM non laudes? Nomina tanta  
 Bella triumpharunt, faciuntque & cæsa trophæum  
 Regnator Flos Galle tuus miratus in armis  
 Inviçtum Thomæ cor, cui Lithuania jungit  
 In trepido clarentem Aloysium robore, Felix  
 Patruus est o sponse tuus Vislicia quondam  
 Quem coluit magnum Prælatum est alter & unus  
 IOANNES Germanus Felici. Ille corona  
 Ille sacerdotum, Gemma. Ille decusque suusque  
 Præpositus Neo-Corcini. Devenit in umbras  
 IOSEPHVS MICHAEL FRANCISCVS at illæ  
 Sole magis clarant umbræ quas sacra coegit  
 Religio vel cæca fides. Domus ista senatus  
 Vna potest dici, meritò vel Regia solis  
 Qua quæris IACOBÈ parem, quæ VIRGINIS Astrum  
 Est prope Riffiacum juratum stemma, LEONEM  
 Per Patriam Tibi vota crucem BIBIANA suosque  
 Qui donum THEODORE Dies jurabit amores  
 Flumina quæ terno circumflua gurgite tollunt  
 Stemma RVBINKOWSKICH ingens & gaudia fundant  
 Et plausus, gaudent Te Gemma lilia REGIS  
 Majestatem augent REGI sociata LEONI.  
 Militet omnis honos Tibi sic vexilla precantu  
 Addo ego postremus vates geminando triumphos,  
 Ite animis votisque pares & vincite vota.